





I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII



49. I.

52



Carmina gratulatoria
In honorem Nuptiarum
Humanissimi & litera-
tissimi Viri,

Dn. M. ABRA-
HAMI VVUNSCHAL-
DI Sponsi, Collegæ Scholæ
Torgensis fidelissimi

Cum
Honestissimâ ac pudicissimâ femina
MARGARETHA
Prudentissimi integerrimiq; Vi-
ri NICOLAI BERGERI
Iudicis quondam in Domitsch here-
ditarij relicta viduâ,

Conscripta à singularibus
Sponsi amicis.

WITEBERGÆ,
Typis Meisnerianis,
ANNO M. D. C. VI.



50.



GATTINGO GYMNASII
 in hunc usque
 Humanissimi G. HERR-
 M. ABR. A-
 HAM VVINSCHAL
 di Spont. Collegii Scholae
 Torontis hibernici
 Cuius
 Honorifici et nobilitati famula
 M. A. R. G. A. E. T. H. A.
 Prudentissimi integerrimiq. V.
 N. N. I. C. O. L. A. I. S. E. R. G. I.
 in hunc usque in D. O. M. I. N. I. C. A. N. O.
 C. O. N. S. T. I. T. U. T. A. S. I. N. T. E. R. I. O. S.
 Spont. amicae
 WITBERG.
 Typis Melchiorianis
 A. M. D. C. V. I.





X P E T I S, ut mea Musa tuo nunc Fra-
ter, honori
Dedicet imparibus verba ligata
modis.

Est magnum quod Sponse rogas: A ver-
sus Apollo

Jam dudum dictat carmina rara mihi;
Namq; valedicens Heliconi prorsus, amorem
Addixi studiis dogmatibusq; piis.
Non tamen in totum vires mihi denegat omnes
Phœbus, sed fratri carmina grata refert.
Ergò quod hîc ferimus non ulla lege coactum
Carmen fraterno, frater, amore cape,
Res est ætherio nimium jucunda Parenti,
Conjugii si quis fœdus inire cupit.
Neque est conveniens homini sine conjugè vitam
Ducere, ceu trinus prædicat ore D E U S.
Nunc pares igitur mandatis Sponse, sacratis,
Et gratam Domino rem facis, atq; homini;
Dum castâ, sacras, cum Sponsâ, tendis ad aras,
Quæ pia, quæ prudens, docta, diserta, pia est.

A 2

Quid

Quid faciam? fas est Sponsis perfolvere vota,
 Poscit enim fratris sanguine junctus amor.
Omnipotens Genitor justus DEUS, autor amoris
 Accipe, pro Sponsis, quæ pia vota fero.
Caste fave Genitor, thalami qui primus es author,
 Da cedant Sponsis prospera cuncta piis.
Conjugii casto confirma fœdere nexus,
 Da redamet Sponsum Sponsa pudica suum.
Tu quoque CHRISTE veni, cui vincla jugalia curæ,
 Ipseque qui præsens talia festa colis.
Pronube Christe veni thalamumque foveto novellum
 Vivifico fœtu, pronube Christe veni;
Ac velut in Canâ præsens cum matre fuisti,
 Dum Sponsi festos instituere dies;
Et miranda manu fecisti facta potenti,
 Dum caruere mero, lætitiâque DEI.
Nam de fontis aqua servus, quam sumserat, unda:
 Naturam vini te faciente capit;
Sic quoque dicta, precor, præsens Hymeneia cures,
 Fac fiant fragrans flumina sumta merum.
Pelle procul Stygium, tedæ mitissimus, hostem,
 Ne fœdet licitos, fraudibus iste, thoros.
His & adesto piis tædis Spirabile Numen,
 Atque sacro cesto corpora bina liga.
Amborum castis succendito pectora flammis,
 Da ne sit fictus, nec simulatus amor.

Hac

Hæc ego voce Deos, & numina trina precatus,
Adijciam numeris hæc quoque pauca meis.
Conjugium non dulce jugum, si felle scatebit,
Si non merus amor, nil nisi amaror amor.
Vidi ego, qui dixit, nil mundo turpius esse
Pauperie, atque avidas cui negat usus opes.
Gratior auro, gemmis est charior uxor,
Quæ probitatis amans cor sine felle gerit.
Divitiæ in casu positæ sunt, sola perennis
Stat virtus, sortem sola timere nequit.
Et quid proficiunt hæc omnia, mutuus absit
Si calor, & pietas, Pieridumq; favor.
At nimium felix Sponsum, Sponsamq; beatam,
Qui virtute nitet, quæ pietate valet!
Annæ dia Trias precibus votisq; vocata
Fortuna cœptum, nam potes alma thorum.
Fac age, fac parili se complectantur amore,
Vitaq; lic multa prosperitate fluat.
Splendeat igne focus, semper salæ mensa redundet,
Nec generosa ipsis pocula cella neget.
Ter tribus exactis, facias, ut, mensibus anni
Floreat illorum pignore læta domus.

M. Georgius VVunschaldus Torg.

Pastor in VVeidenbayn.

Sponsi frater.

A 3,

MULIER

MULIER CONIUNX BONUM.

CVI Coniunx contingit, habet (ridere caveto)
Quo melius vix quid dixeris esse, bonum.
Edita vox Cælo loquitur, cui credere fas est,
Quam verò hoc dignam forsàn honore putes?
Cum tot alat tellus Xantippas, totq; Medæas
Fœmineo ut dicas nil genere asperius?
Si qua Deum, primis lac sugens, imbibit annis,
Et colit hunc quo se iussit honore coli.
Si non impuros concepit in ossibus ignes,
Si casto casti flagrat amore viri.
Uni, uni servans intacti jura pudoris
Impia nec litis semina sponte serit.
Si, quæ vir voluit, vult ipsa: parata subire
Quæcunq; eveniunt, sorte ab utraq; viro.
Quæ gaudet gaudente illo; si fortè maritum
Plus solito tristem viderit esse, dolet.
Et lenire malum, tristesq; è pectore curas
Eximere, & tentat dicere blandicias.
Ordine dispositam quæ, termitis instar olive
Dat sobolem: his maius reris an esse decus?
Et, quæ sunt longo, duroq; reposta labore
Nam quid habet vita hæc absq; labore boni?
Tempore quodque suo depromit sedula, rursus
Cum fert res, condit tempore quidque suo.

Sanctus

Sanctius hoc dono quidquam? Vita illa Deorum est.

Quod mulier Conjunx sit bona, nemo negat.

Improba cui verò contingit & aspera vultu,

Mordax lingua, atrox moribus, ore levis,

Ille sacerdotem ne culpet: namq; sacerdos,

Qualem quisq; sibi legerat antè, ligat.

Nec Deus in culpa est, nam qui sine labe juventam

Traducit, nec eum cæca libido trahit,

In partemq; Deum thalami tædæq; vocavit,

Nullò non cœli tempore sentit opem.

Ergo bonum, mulier Conjunx. Vos ergo beatos

Margaris Abrabæ junctâ venusta, reor.

Quos pietas, & amor, quos sanctus, pectore spirans

Æterno flatus, jure fideq; ligat.

Qui precibus vestris, spirantem immania, longè

Asmodum, Geticum per mare, motus agit.

Ite agite, ite domum Venit Hesperus, ite agite, unâ,

Tempus adest, somnos jungite, tempus adest.

Lunaq; cum decimùm se pleno ostenderit ore

Sit Sponsæ, matrem dici, dulce, patremq; viro.

M. Michael Boiemns.

Votum

Votum

NUPTORUM

reciprocum.

ADSIT, adest, aderit Sacer Ignis ab æthere missus,
Ustulet ut Flatu pectora nostra suo.
Ne, quid Amoris hyems, quid sit crucis horrida
grando,

Detur scire: Jugum non breve sit, leve sit.
Donec uterq; simul naturæ debita solvens
Errabit rutilo *fulgida Stella polo.*

FINIS.



Votum

Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3
002 690 756



56.

VD77







49. I.

52

Carmina gratulatoria
In honorem Nuptiarum
Humanissimi & literatissimi Viri,
DN. M. ABRAHAMI VVUNSCHALDI
Sponsi, Collegæ Scholæ
Torgensis fidelissimi

Cum
Honestissimâ ac pudicissimâ femina
MARGARETHA
Prudentissimi integerrimiq; Vi-
ri NICOLAI BERGERI
iudicis quondam in Domitsch hereditarij relictâ viduâ,
Conscripta à singularibus
Sponsi amicis.

WITEBERGÆ,
Typis Meisnerianis,
ANNO M. D. C. VI.

50.

